4

HERCULIS CORAZZI

Abbatis Olivetani, et Publ. Prof.

DISSERTATIO

Ad Michaelis Mercati Metallothecam

In Bononiensi Scientiarum Academia recitata

Idibus Januarii

MDCCXIX

SUB AUSPICIIS

Eminentissimi, ac Reverendissimi

CURTII

CARDINALIS ORIGO

Bononiae a Latere Legati.



Tu verus Patriae diceris esse PATER.

Martial. in Amph.

EMINENTISSIME PRINCEPS



On ego Dissertationem hanc edere jussus, Princeps Eminentissime, tuo nomini inscribere decrevi, sed idcirco edo,

 ut

ut inscribam. Scilicet immensa illa beneficia, quae in patriam hanc meam quotidie confers, jamdiu me movent, atque impellunt, ut non privato aliquo officio, sed publico testimonio grates agam; voluntatemque hujus Civitatis, studium, obsequium in magna omnium hominum luce tibi significem. De omnibus fere Principibus dici solet, esse illos humanos, graves, sapientes, pios, juris, & aequi servatores: quid enim potius? tu revera talis es. Omnes sibi liberalitatem, & clementiam vindicant: tu ita clemens in omnes es, ita praesertim liberalis in pauperes, ut hae duae potissimum virtutes tuae esse videantur, tibique quodammodo a natura insitae, ceterae vero ad

has

has accedant eo communi vinculo, quo ſimul omnes inter ſe neceſſario colligantur. Non poteras ſane, in tempus incidere difficilius, ſive annonae caritatem pro foediſſimis Rheni inundationibus reſpiciamus, ſive artium, ac mercaturae inopiam: tu tamen tanta prudentia, ingenio, lenitate ubique occurris, ut nemo, ne dolere quidem de ſuis calamitatibus, velit. Sed nolo videri, panegyricum mittere, tuaeque moderationi per haec qualiacumque moleſtiam afferre. De me potius dicam: verum ne de me quidem. Nimis enim multa dicenda eſſent de ſumma mearum virium infirmitate, de proficiendi deſiderio, deque iis omnibus, quae me tibi, civibuſque meis plus nimio auden-


dentem excusare possent. Quamquam tu me satis superque nosti; nec profecto tot beneficiis ornasses, nisi novisses. Qua in re non ideo mihi placeo, quasi vero mereri aliquid potuerim; video enim, quam nihil valeam: sed utcumque sit, judicium de me tuum tam splendidum, atque honorificum praeterire nullo modo possum. Nunc ita velim, tibi persuadeas (Litteratissime Princeps, amor, ac deliciae bonorum omnium) nihil mihi jucundius contingere posse, quam si Dissertationem hanc aequi, bonique consulas. Vale.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

Bononiae - Idibus - Februarii MDCCXIX

Humillimus Servus Obsequentissimus
Hercules Corazzi.

DISSERTATIO



Uoties reputo, Eminentiſſime Princeps, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Prolegate, Senatores Excelſi, litteratiſſimi Auditores, quam multa, quantoque doctrinae lumine expolita Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Praeſul Joannes Maria Lanciſius in lucem ediderit, toties non illi ſolum, ſed nobis omnibus magnopere gratulor, qui Academiae hujus ſocietate tanto viro conjuncti ſumus, & in ejus gloriae communionem aliquo modo venimus. Nullum jam nomen in litterario orbe plus reſonat, quam Lanciſii; noſque ni-

nihil esse tam utile ad Philosophica studia promovenda existimamus, quam si ejus opera in medium producamus; collectisque velut in aliqua tabula, quae potissimum eminent, civium nostrorum ingenia ad imitandum excitemus. Huc spectavit clarissimus, & ornatissimus vir Matthaeus Bazzani, cum praeclarum illud opus -- *de Noxiis Paludum effluviis* -- tanto ingenio, tantaque industria vobis exposuit, magnamque Auctoris doctrinam, summa cum elegantia conjunctam, in bono lumine collocavit. Sed ille profecto cum apud vos diceret, visus est hujusmodi, ut quandoquidem Lancisius ipse Bononiae audiri non posset, Matthaeus Bazzani unus ejus personam pro dignitate sustineret, ingentemque illam inveniendi subtilitatem,

dispo-

disponendi prudentiam, ornandi copiam, non longo intervallo proximus assequeretur. Videtis, Auditores, quo me animo esse oporteat, quam dubio, quam fracto, qui in locum tam difficilem succedere jubeor, & *Vaticanam Michaelis Mercati Metallothecam* a Lancisio editam, atque illustratam, eundem in pulverem proferre, eademque judicia subire. Periclem ferunt, quoties ad dicendum accederet, a Diis immortalibus petere solitum, nequod verbum excideret loco, aut tempore minus dignum: mihi vero non loci tantum, vel temporis habenda ratio est, in quo peccare sine magna reprehensione nemini licet, sed ejus insuper, qui ante me dixit, quòd ita aures, animosque vestros occupaverit, ut nihil jam minus elegans placere possit.

Verumtamen non eſt ex ſapientia veſtra idem ab omnibus poſtulare; ſed quemadmodum providus agricola arva etiam minus fecunda diligenter colit, ut pro ſoli natura fruges aliquas colligat; ita vos non optimis ſolum ingeniis favere decet, ſed etiam mediocribus, atque adeo deterioribus, ne, ſiquid forte in illis tolerabile videatur, contemptu veſtro quaſi ſepultum miſerrime pereat. Ergo audere juvat, illamque benevolentiam a vobis ſperare, quam ceteris ex hoc loco dicentibus concedere conſueviſtis, nec mihi ipſi, quamvis jure poſſetis, pro veſtra incredibili bonitate umquam denegaſtis.

Duo fere ſolent eſſe aliorum libros referentibus ſumma incommoda, quibus & initio perterrentur, & in ipſo opere valde laborant: nam ſi-

ve malos libros referant, castigandi materiam quaesisse videntur; sive bonos, ita frigent, ut neque aliquid de suo addant, neque aliena dicendo exaequent. Alterum hoc, siquando me umquam, nunc certe maxime sollicitum habet, cum celeberrimam Michaelis Mercati Metallothecam exponere jubeor, vestrisque oculis, ac judiciis subjicere. Cum enim ipsum per se opus in eo rerum genere perfectum est, ac prope absolutum; tum siquid pro Scriptoris aetate, multis veterum opinionibus auctorata, peccatum fuerat, tanta diligentia, & felicitate ab ingeniosissimis viris castigatum est, ut nihil jam addi, nihil omnino detrahi possit. Accedit, quod ille ipse, qui unus reliquus esse videbatur, dicendi campus de Auctoris vita, de operis praestantia, de

 modo,

modo, de tempore, de loco, quo singula descripta sunt, & ad nostram aetatem per varios casus traducta, hic ipse, inquam, nobis interclusus est. Nam in ipso veluti libri vestibulo statim sese offert doctissimi Lancisii praefatio, in qua nihil eorum praetermissum est, quae ullo modo possint ad hujus praestantissime lucubrationis lectionem hominum animos praeparare. Hic abunde de Sapientissimi Principis Clementis XI., Pontificis vere Maximi, studio in restituenda, ornandaque antiquitate, de hoc Metallothecae codice, de Metallicorum, & fossilium corporum loco in AEdibus Vaticanis, de varia totius rei fortuna, de Auctore ipso, & monumentis ad eum pertinentibus, denique de nobilissima hac editione, notisque, & illustrationibus distincte,

gra-

graviter, eleganter, & ut omnia uno verbo complectar, Lancisiano plane more differitur. Praefationem excipit Mercati vita ab Illustrissimo, & Reverendissimo Praesule Carolo Majello scripta, tanta quidem perspicuitate, & eloquentia, ut non historiae modo, sed etiam panegyrici ornamenta comprehendat; par simul laudato, simul laudatori; illa demum immortalitate digna, quam Mercato ipsi apud omnem posteritatem comparabit. His tantis viris accedit Petrus Assaltus elegantissimae indolis, multaeque, ac reconditae eruditionis Professor, de cujus ingenio, atque doctrina id unum dicam, eum potissimum in urbe Roma visum esse hujusmodi, ut Lancisio operam navaret, suoque studio, & industria hominum expectationi in re tam difficili

ſatisfaceret. Ubi igitur Lanciſius, infinitis prope curis diſtentus, non potuit, Aſſaltus huic operi adfuit, multiſque adjectis commentationibus, explicuit, emendavit, amplificavit. Sed jam propius accedamus.

Cum Metallorum, foſſilium, & lapidum hiſtoriam ſcribere clariſſimus Mercatus inſtituiſſet, univerſum opus in duas partes diſtribuit, quarum prima rerum genera, ſecunda res ſingulas complecteretur. Sed quia pars altera jucundior, & utilior videbatur, ab ea duxit initium, tamdiuque laboravit, donec extinctus eſt. Itaque nihil in univerſum edidit, niſi quae quattuor prioribus hujus voluminis capitibus continentur, in quorum primo de ordine generatim diſputat, quo metalla in rerum natura ſunt; in ſecundo quaerit, quid nomine metal-
lo-

lorum intelligatur ; in tertio differit de iis, quae metalla antecedunt; in quarto demum metallorum differentias pro variis Philoſophorum opinionibus aſsignat. Quod reliquum eſt in decem armaria dividitur, armaria vero ipſa in plures loculos, quorum ſingulis peculiarem diſſertationem tribuit, in qua nomina rerum primum expendit; deinde figuras exhibet; tum ſapores, & quae tactu percipiuntur qualitates explicat; poſtremo facultates, & uſus in medium affert. Operis totius materies ſunt terrae, ſal, & nitrum, alumina, ſucci acres, ſucci pingues, marina, lapides terrae ſimiles, lapides animalibus innati, lapides ἰδιόμορφοι, ac denique marmora. Sed haec quidem, quae armario decimo continentur, pauca ſunt, paucíſque explicata. Fortaſ-

ſe enim particulam hanc nondum absolverat, cum fato interceptus eſt: proinde neque ceteris conjunxit, ſed anguſtiore libello adumbravit.

Verum me quidem non tam res ipſa capit ceteroquin magna, & admirabilis, quam notae immenſa, atque incredibili eruditione ab omni ſcientiarum, linguarumque genere petita refertiſſimae, quarum judicium nolite, quaeſo, a nobis expectare. Nimium eſt hoc, noſtrarumque virium infirmitatem, atque adeo ipſam temporis rationem ad dicendum conceſsi longiſsime ſuperat. Ne tamen prorſus laborem defugiſſe videamur, habete aliqua de metallorum generatione, ex quibus de ceteris facile judicabitis.

In capite poſtremo illorum quattuor, quibus operi univerſo quaſi prae-

praeluditur, Aristotelis sententiam clarissimus Mercatus attulerat de metallorum generatione, ac differentiis, & cum illa Theophrasti, Galeni, Avicennae, atque Alberti opiniones composuerat: sed revera nimis ille quidem generatim, & ex antiqua consuetudine philosophatus fuerat. Lancisius, & Assaltus aliquanto magis ad naturam, ut hoc explicarent, accesserunt. Et hac in parte quidem satis apparet, quantopere Chymicis experimentis, unde natura tota suis momentis expensa perspicue, dilucideque cognoscitur, pro sua sapientia delectentur. Ut igitur ordine in re valde obscura, & implicata procedant, quinque omnino opiniones de metallorum generatione, & augmento afferunt. Alii enim putant, metalla fieri ex mercurio, & sulphu-

re; alii ex mercurio, ſulphure, & ſale; alii ex mercurio vulgari, ſulphure, & terra; alii ex materia ſubtiliſsima lucis mercurii globulos diverſimode penetrante; alii denique ex ſeminibus quibuſdam, itaut plantarum inſtar vegetent, in truncos creſcant, ramoſque emittant.

Hic ego tantorum virorum venia animadverto, primam opinionem veterum Philoſophorum eſſe, hoc eſt Hermetis, Raimundi Lulli, Arnoldi de Villanova, & aliorum praeterea inter *artis auriferae Auctores*: alteram vero ad eos referendam eſſe, qui quodammodo recentiores appellari poſſunt, cujuſmodi ſunt Filaleta, Sandivogius, Comes de Treves, Michael Majerus, & alii, quorum lucubrationes in Theatro Chymico recenſentur. Neque vero difficile eſt, ſecundos

dos primis conciliare: illi enim mercurii nomine ſalem quoque complexi ſunt, tertium metallorum principium; ſiquidem mercurius a ſale numquam ſeparari poteſt : hi vero, ut aliquid ſuo marte inveniſſe viderentur, de ſale peculiarem ſermonem iniecerunt, & tertium illi locum in metallorum generatione aſsignarunt. Ceterum ſatis appoſite notarum Auctores monuerunt harum rerum ſtudioſos, mercurium, de quo in praeſenti loquimur, non vulgarem illum eſſe, qui *argentum vivum* appellari communiter ſolet, ſed Philoſophicum, hoc eſt ſubſtantiam humoris, ac viſci redundantem. Quibus, ſi licet, pauca quaedam adjicio; videlicet ſubſtantiam hanc ad Saturnum pertinere, & ex ejus minera educi, quam una voce ex tribus compoſita

ſaturnino - luni - ſolarem appellant; vel etiam ex antimonio minerali, quod ipſum eſt *de partibus* Saturni, ut Arteſii Arabis verbis utar. Id unum animadvertendum eſt, Mercurium virginem, ac vivum eſſe debere: vita porro metallorum in eorum minerali ſpiritu conſiſtit, qui per terram, ac ſaxa penetrans argentum, aurumque producit, & mineris ipſis vitam, & propagationem quodammodo tribuit. Quare quaecumque igne tentantur, ac funduntur, cum vitalem ſpiritum emittant, hoc eſt vim mineralem, videntur quodammodo violata, & mortua; ideoque ad opus inepta ſunt: quò referendum eſt proloquium illud Hermeticorum valde arcanum -- *oportet ad opus magnum aſſumere terram virginem* --.

Ter-

Tertia opinio falſiſsima eſt: valde enim differt mercurius vulgaris a Philoſophico, in quo uno res chymica vertitur. Etenim hic calidus, ac vivus eſt: ille frigidus, & mortuus, veluti pomum ab arbore divulſum. Sulphur quidem verum principium eſt, ſed animadvertendum diligenter, non hoc cuilibet ſulphuri convenire. Sulphur chymicum ſolare eſt, quod a Philoſophis *Filius ſolis* appellatur; & quidem album gignit argentum, rubeum gignit aurum. Terra demum, cui tertii principii locus ab hujus opinionis auctoribus tribuitur, proprium, ac verum principium non eſt, niſi forte remotiſsimum.

Quarta opinio, quae doctiſsimum Hombergum auctorem habet, magis accedit ad veritatem, quippe lucem attingit, unde non eſt difficile

le rerum omnium originem ducere. Sed haec ſubtiliora ſunt, quam pro tanta brevitate temporis explicari poſſint.

Veniamus ad opinionem quintam, in qua tanto diutius, ac libentius immorabimur, quanto plura, quam ceteris Scriptoribus, Marcello Malpighio noſtro celeberrimo, atque immortali debemus, qui eam in primis probavit. Qui in ea ſunt, metalla omnia ex ſeminibus gigni, & plantarum inſtar vegetare exiſtimant; quod quidem ob id potiſſimum duriuſculum videtur clariſsimo Aſſalto, quia cenſet, *metallorum generationem, atque incrementum, partium, ut ajunt, juxta poſitione fieri*. Duriuſculum dico: neque enim negat Aſſaltus, omnem prorſus plantae ſimilitudinem metallis deeſſe, ſed rudi,

di, & analoga vegetatione conceſſa, cetera inficiatur. Ego vero (ſi licet exercitii gratia, a tanto Philoſopho parumper diſcedere) ob id potiſsimum ad Malpighium, & Malpighianos accedo, quod non juxta poſitione, ſed concoctione, & maturatione quadam, veluti arbores, metalla gigni, atque incrementa capere exiſtimo.

Semina igitur metallorum ſunt ſales terrae minerales, praeſertim vero nitrum, ac vitriolum, in quibus principia metallica ſulphur, ac mercurius, mas, & femina continentur. Ex quo fit, ut ſi minera exhauriatur, rurſus tamen ex ſemine ibi latente metalla progignantur, & creſcant. Quia vero neceſſe eſt, hujuſmodi ſemina in aliqua matrice condi, illam ſtatuimus metallorum matricem, quaſique uterum, quae partem

tem

tem imam minerarum occupat, hoc est profundissimum solum vitriolicis, ac nitreis salibus abundans. Hi enim humiditate loci facile soluti simul miscentur, inde mutuo in se agentes, fumantesque per superiores terrae venas, ad novae substantiae naturam paullatim disponunt, & ex terra communi in terram mineralem commutant. Ajo itaque, matricem mineralem, nitri, ac vitrioli beneficio, virtutem, & facultatem habere substantiae alicujus pervertendae, & longa maturatione adhibita, in aliam mutandae. Hac ratione metalla omnia gignuntur, & crescunt; satisque constat rerum chymicarum peritis, mercurium saturni in plumbeis mineris ita concoqui, ut plumbo nobilius evadat, multisque accedentibus saeculis in argentum, ac denique in aurum etiam commutetur. Hac.

Hactenus de metallorum radicibus: ad truncum accedamus. Ita sane plumbum appellari poteſt, cujus minera principia quaedam ceteris metallis ſuppeditat maturitati propiora, & a terra magis ſublata. Hinc non temere AEgyptii Philoſophi, fabularum auctores, Saturnum Deorum patrem eſſe commenti ſunt: cum enim Saturni nomine plumbum ſignificetur, ceteriſque metallis, pro varia ſingulorum indole, Deorum nomina tribuantur, totum hoc metallicae generationis negotium clariſſime expeditur. Nolite enim exiſtimare, Auditores, veteres fabulas anilia commenta eſſe, aut inſulſa poetarum ſomnia: ſed ita vobis perſuadete, antiquos naturae interpretes per haec involucra arcanis ſapientiae myſteriis nubem quandam offudiſſe, ut igna-

D rum,

rum , ac ſtolidum vulgus callide fallerent, & ab his, quaſi ſacris, longiſſime arcerent. Idem prorſus ſignificarunt, cum Saturnum in Helicone vomiſſe lapidem tradiderunt, quod ex plumbo, Philoſophicus lapis ad metallorum mutationem idoneus, proxime ducatur.

Sed jam me unuſquiſque veſtrum de ramis interrogat. Hoc quidem nomen, niſi fallor, in metalla non omnino perfecta ſatis convenit. Cum enim plumbum matrices quaſdam ſulphuribus vitioſis infectas plerumque offendat, ſpiritus ejus mercurialis ſtatim imbibitur, & in metalla deteriora degenerat. Omnia tamen temporis beneficio per ſpiritum aureum ſulphureum pervadi, purgarique poſſunt, & ad auri naturam promoveri. Iccirco poſtremo loco ſtatuitur,

tur, mineralis arboris fructus aurum esse, atque argentum, juxta majorem, minoremve mercurialis, sulphureique spiritus copiam, & facultatem.

Ecce igitur vobis Malpighii nostri arborem, quae & a Majero viro doctissimo, magnique in hac arte nominis, emblemate nono praeclare describitur.

Nolo diutius excurrere, ut hinc colligatis, quantum sit harum notarum momentum, si uno ex loco tanta rerum pulcherrimarum seges existit.

Accedit, quod me non tam capit Interpretis ingenium, ubi res explicat, notisque ornat, quam ubi conticescit, & alio progreditur. Semper enim existimavi, Philosophos nostros, ceteroquin praestantissimos, in eo maxime peccare, quod omnia ex-

 pedire

pedire conentur, nihilque diſſimulent. Nugari ſane neceſſe eſt, cum illa tentantur, quae ſuapte natura deliteſcunt; multoque praeſtat, prudentiae laudem tacendo quaerere, quam levitatis notam blaterando ſubire. Haec ad caput ſextumdecimum armarii ſeptimi referenda ſunt, in quo de Magnete, & Theamede a Mercato diſſeritur. Videtis, Auditores, qua de re, quam arcana, quam dubia, quam multis difficultatibus implicata. Itaque prudentiſſimus Aſſaltus praetereundum ratus, quod nemo unus adhuc commode explicuit, callida quadam, & eleganti corporis declinatione ictum eluſit, lectoreſque ſuos ad Carteſium, & Gaſſendum amandavit. Non eſt diffitendum, Philoſophos iſtos de tota re Phyſica optime meritos ea vidiſſe, ac docuiſſe, quae ſpeciem aliquam

ve.

veritatis praeseferant, & ad praecipuos magnetis effectus explicandos non prorsus inepta videantur. Sed cum illa omnia ad trutinam revocantur, quae ipsi commenti sunt, tam multis incommodis obnoxia inveniuntur, ut hoc ipso minus vera appareant, quod nimis ingeniosa sunt. Et ne a Mercato nostro discedamus, animadverto, cum clarissimum Interpretem, tum ceteros omnes, qui de hoc Mercati opere locuti sunt, singulare viri ingenium admiratos esse, quod magneticam vim non ad occultas qualitates, ut reliqui ejus aetatis Philosophi, sed, velut ab inferis excitato Epicuro, ad corpusculorum effluvium referendam existimaverit. Numquam ego ita desipui, ut Scholasticorum inania verba mechanicae industriae anteponenda putaverim: sed

ſed tamen vehementer opto, ut quoties in eos exurgimus, eorumque qualitates oppugnamus, ea dicere, & confirmare poſſimus, quae ſi non illis, nobis ſaltem probentur. At vero in praeſenti negotio ſcholaſticas nugas ridere facile eſt, ſed veritatem exponere difficillimum. Cedo enim mihi, quomodo illa corpuſcula magnetem lapidem in polos dirigant, nec tamen ſemper recta dirigant, nec oblique ſemper, nec eodem modo. Recedat Carteſius, & Gaſſendus, quibuſcum mihi pugnandum non eſt, tametſi hac in acie valde ipſi quoque inermes ſunt. Prodeat Mercatus. *Eam vim, inquit, quocumque modo, ſive cauſſa id fiat, Urſae majoris propriam eſſe dixerim; quia in rebus dubiis ad univerſalia potius, quam ad particularia*

ria confugere expedit; cum ratio ſaepe in primo limine deficiat. Sane quidem nihil aliud cum variis aſtrorum influentiis anti. qui voluerunt, quam ut oſtende. rent quaſdam res divinitus ordinatas, ne altius earum ratio deduceretur: idque ipſum de fatis quoque intellexerunt, ne de eruenda omnium rerum ratione nimium ſolliciti eſſent. Ain' tu, optime vir? Ecce igitur qualitates occultas admittis, quas ante damnaveras. Addo, quod ſi Urſa magnetem alliceret, numquam in partes declinaret, quod nuperrime notatum eſt. Addo etiam, quod idem ma. gnes numquam ad Auſtrum tenderet, quemadmodum revera tendit, ſi ul. tra AEquinoctialem deferatur. At enim primus magnetis effectus, qui in ferro

ferro trahendo consistit, per effluentia corpuscula optime exponitur. Non ausim negare, corpuscula ex magnete effluere, & in ferrum tendere; sed quomodo in magnetem rursus redeant, hic opus, hic labor est. Philosophi adhuc inter se pugnant, ac ne duo quidem eorum, qui familias ducunt, sibi consentiunt. Mercatus, quocum uno in praesentia nobis res est, glutinosos quosdam spiritus, vaporesque ex ea magnetis parte, in qua lanugo efflorescit, exire contendit, qui per aerem disseminati in ferrum impingant, secumque arripiant. Bene hercule narrat. Verumtamen quaero ego, qui fieri possit, ut una cum ferro eodem revertantur, unde profecti sunt. Neque enim reditus hic magneti tribuendus est, nisi nova quaedam virtus superveniat, quae

spi-

ſpiritus illos ante propulſos ad ſe revocet: non ſpiritibus ipſis, niſi aliqua ratione cieantur: non ferro, quod ſua natura iners, aliena vi, & facultate ducendum eſt, aut impellendum. Quidquod ex una parte magnes ferrum allicit, ex altera fugat? Id tamen timide dico, Auditores. Etſi enim ſe ſuiſmet oculis tale aliquid vidiſſe Mercatus teſtatur; etſi antiquitas adeo credidit, ut lapidem Theamedem confinxerit, qui ferrum abigeret, ne contrariam facultatem magneti aſſignaret; etſi denique Gaſſendus facile concedat duobus illis Lucretii carminibus innixus =

Fit quoque, ut a lapide hoc ferri natura recedat,
Interdum fugere, atque ſequi conſueta viciſſim.

L. 6. v. 1040.

attamen, & celeberrimus Lucretii in-

 ter-

terpres Thomas Creechius aliam prorſus eſſe ejus loci ſententiam contendit; & Edmundus Purchotius, noſtrae aetatis Philoſophus longe diligentiſsimus, in ſecunda Phyſices parte, ſectione quinta, capite quarto, magnetem quidem, ait, ex una parte alterum magnetem allicere, ex altera repellere, at ferrum ex utraque allicere. Ita ne igitur effectuum cauſſas quaeremus, ſi nondum effectus ipſos certo cognovimus? Sed ego quaerentes laudo, reprehendentes arguo. Donec enim omnia conſtabunt, ego ſane Philoſophos omnes libentiſſime feram; nihilque tam eſſe abſurdum putabo, ſive a polo petatur, ſive a vacuo, ſive ab arcana vi, ſive a montibus magneticis, ſive ab analogo animae principio, ſive aliunde, quin tolerari debeat. Fere enim ita fit,

ut

ut de iis, quorum naturam, & ingenium ignoramus, ſiquando lux accedat, illos maxime homines ad rem diſputaſſe appareat, qui a vero alieniſſimi videbantur, illos vero quam ineptiſſime, qui ſua ſubtilitate, & acumine curioſis ſatisfecerant. Praeclare nunc dicere videntur, qui magnetis globulum exiguam quandam terram appellant, ſuis polis, ſuis meridianis circulis, ſuo aequatore inſtructam; ingenioſe, qui materiae ſtriatae cochleas excogitant, eaſque ad magnetis phaenomena accommodant; acute, qui villos, & fibrillas magneti impertiunt ita diſpoſitas, ut profluvia e terra erumpentia per unum tantum magnetis polum ingredi poſſint, perpetuoque vortice circa illum ferantur. At ſiquando multarum obſervationum, aetatiſque benefi-

 cio

cio ſeſe res ipſa patefaciat, quam vereor, ne omnia haec toto caelo a veritate diſtent! Haec ego cum mecum cogitarem, ita ſtatuebam, rem eſſe hujuſmodi, ut de illa magis Poeta ludere, quam Philoſophus diſſerere poſſit. Ecce vero quae animi gratia, juvenili quodam ardore percitus conabar =

En rude quanta patrat rerum miracula ſaxum,
Illuditque mei viribus ingenii.

Ipſe ſuos magnes (animae quis credat egentem?)
In Boream motus dirigit, inque Notum.

Navita, quid faceres pelago deprenſus in alto,
Signaret dubiam ni lapis iſte viam?

Magnetem magnes nunc ad ſe invitat; eundem,
Converſis ſtudiis, nunc procul ire jubet:

Saepe trahit ferrum non ultro mobile: mirum
Qua ratione trahat, ſed tamen ille trahit.

Inſita

Insita num vis est, quae corpora jungat amica,
Quodque agit, occultis viribus intus agat?

An vacuum caussa est, an qui circumfluit aer,
An Polus, an tenuis seminis effluvium?

Sidera quid tentas, mortalis, noscere caeli,
Si genium terrae non capis exiguae?

Redo jam ad notas, quarum singulae hujusmodi sunt, ut praestantissimum Auctoris ingenium prodant, & semina quaedam abditissimarum cognitionum contineant, ex quibus mediocria ingenia proficere possint, & talia quaedam conari, qualia a nobis audistis.

Sed antequam dicendi finem faciam, moneo Lancisianarum lucubrationum studiosos, in notis ad armarii secundi caput sextum, celebratissimam sapientissimi nostri Praesulis e-

piſtolam contineri, ad Raymundum Vieuſſenium miſſam, de ſanguinis acido. De hac porro nimis multa dicenda eſſent, ſi ejus laudes ſuſciperem; ſed neque tempus id patitur, neque locus poſtulat, neque Auctor ipſe pro ſua modeſtia deſiderat. Ne prorſus tamen in re tam gravi ſiluiſſe videar, animadverto, percelebrem eſſe controverſiam, utrum acidum eſtrahi poſſit ex ſanguine. Affirmat hoc omnium Medicorum hujus aetatis ſapientiſſimus; ſed modum a doctiſſimo Vieuſſenio excogitatum putat eſſe non ſatis tutum. Cum enim Auctor hic infidum analyſis miniſtrum eſſe ignem animadvertiſſet, quod magnam ſui portionem reſolutis corporibus fere communicet, ad ſolem confugit, terraſque bolares. Itaque tum demum ex

ſan-

ſanguine ſal acidum exprimi poſſe existimat, ſi vel radiis ſolaribus calcinetur, vel terrae bolaris admiſtione diſtilletur. Utrumque impugnat Lanciſius: primum quidem, quia radii ſolares ignis ſunt, ignemque accendunt; alterum vero, quia bolares terrae acidulo ſpiritu gaudent, quem ſanguini ipſi in diſtillatione facile impertiunt.

Atqui ego in aliena provincia ſum. Ita profecto: verumtamen res ipſa mihi propoſita non aliter poſtulabat. Ceterum nemo eſt omnium, qui ſplendidum, atque immortale Lanciſii nomen, pluſquam ego ſuſpiciat: novi equidem, quantopere in rebus Phyſicis, & in iis omnibus, quae ad Phyſica quoquomodo referuntur, excellat: novi ingenium hominis, ſapientiam, gratiam, auctori-

toritatem novi: idque potiſſimum ad Academiae hujus fortunam refero, quod eum inter noſtros numerare poſſimus.

Interea grates illi pro ſuſcepto vulgandi Mercati labore agimus, & habemus: grates item, quam fieri poteſt, maximas Principi noſtro incomparabili Clementi XI., cujus inſigni beneficentia litterae omnes, ac diſciplinae in Italia refloreſcunt. Jam nihil ab eo vulgare expectandum eſt. Talia ſunt ad noſtram felicitatem, & incrementum fundamenta poſita, ut nec vetuſtae Italorum gloriae, nec aureis ſaeculis invidere poſſimus.

F I N I S.

Vidit Don Sebastianus Giribaldi Cleric. Reg. Cong. S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiae Poenitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiscopo, & Sac. Rom. Imp. Principe.

Die 27. Januarii 1719.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Caneti Provic. Sancti Officii Bononiæ.

BONONIAE

M DCC XIX

Typis Julii Roſſi, & Soc.

ad Vexillum Roſae.

Superiorum Auctoritate.

